

(ordinariam actionem si spectes) non vult operari: sed per illud vult esse efficax.

101. Quibus observatis, neque Ministris tanquam hominibus, adscribitur, quod DEI est opus proprium: neque tamen Ministerium debitâ sua spoliatur dignitate & efficaciâ. Sunt enim Ministri $\sigma\upsilon\nu\epsilon\rho\gamma\omicron\iota$ sive cooperarij DEI, 1. Cor. 3. 9.

102. Secunda Quæstionis puritatem corrumpentibus Donatistæ, qui Sacramentorum integritatem & efficaciam à Ministrorum qualitate & conditione suspendebant: Sophisma disparatarum causarum committentes, & organicam sive instrumentalem causam, cum efficiente imperitè confundentes.

103. In tertie ac postreme Quæstionis decisione, initio detestamur Anabaptistarum & Enthusiastarum vesanam libidinem, qui vel privatâ vel plebeiâ duntaxat autoritate sibi docendi munus in Ecclesia sumunt.

104. Deindè damnamus Pontificis Romani ac sacrificulorum Missaticorum nefandum sacrilegium, quo se solos CLERVM indigitant, ac exindè ad se solos curam istam atque potestatem Ministerij Ecclesiastici constituendi ita unice pertinere dictitant, ut nulli, alij ordini in Ecclesia juris aut potestatis quicquam in causa ista relinquendum esse, somnient.

105. Quod servitutis jugum diu à synagoga Romana toleratum, vel tandem Ecclesia feliciter

citer